



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Communi,
Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Disputatio VI. De effectibus Censuræ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

Vera expō-
sio.

nec incurret censuram non ieiunando, quod secus A
esset, si præceptum fuisset directè impositum perso-
næ. Quod si hoc fieri potest per præceptum speciale,
poterit etiam fieri per generalem sententiam, quæ
solum est generale præceptum: ratio autem genera-
lis, vel particularis non variat iurisdictionem, aut
potestatem: & ideo in sententia generali veram cē-
seo sententiam Bartoli: quod potestas non deest si
voluntas concurrat. Ad difficultatem ergo respon-
detur: caput *Vi animarum*: loquitur de statuto terri-
torij, seu provincie, non de præcepto imposito per-
sonæ, cui nos dicimus æquiparari sententiam gene-
ralem, & ideo sub decisione illius textus non com-
prehendi. Nec in præceptis personalibus, siue spe-
cialibus, siue generalibus procedit ratio illius tex-
tus, nam hæc præcepta (vt dixi) & prolatio censuræ
secundum se non respiciunt territorium, sed perso-
nas: & ideo qui sic præcepit, non dicit proprie ius
extra territorium: sicut qui absoluit subditum in
aliena diocesi, non dicit ius extra territorium, sed
ab illo abstrahit.

DISPUTATIO VI.

De Effectibus censuræ.

ACTENVS institutionem, na-
turam, & causas censuræ decla-
rauimus: solum superest, vt de
effectibus eius dicamus, vbi etiā
si quidpiam desiderari potest, vel dicen-
dum superest de fine, seu causa finali cen-
suræ simul explicabitur, quoniam finis, &
effectus in eandem rem sæpè coincidunt.
De attributis verò, seu proprietatibus cen-
suræ nihil dicere oportebit, quoniam quæ
alicuius momenti esse possunt ad rem mo-
ralem, sufficienter tacta sunt explicando
formam, & modum censuræ ferendæ, &
explicando distinctionem censuræ in iniu-
stam, & nullam: ibi enim indicauimus quæ
sint substantialia, quæve accidentalialia in
censuræ, & præter hæc non habet alia attri-
buta, nisi fortasse aliqua illi accomodentur
in ordine ad effectum, vt v.g. quod vim ha-
beat hunc vel illum effectum efficiendi,
quæ attributa explicatis effectibus explica-
ta remanebunt. Quanquam hæc vis, & ha-
bitudo ad effectus potius pertineat ad sub-
stantiam censuræ, nam tota eius ratio in
hoc consistit, vt sit vinculum inducens hos
vel illos effectus afflictiuos, & pœnales ad
comprimendam contumaciam. Atque ob
causam paucam de his effectibus dicam: nam
explicabuntur melius in singulis censuris,
quoniam ex illis, seu per ordinem ad illos
proprie rationes, seu differentie singula-
rum censurarum à nobis explicandæ sunt.

Duo igitur hic breuiter trademus, pri-
mum, qui sint effectus communes
omnibus censuris, secundum,
quibus modis impediri
siue excusari
possint.

SECTIO I.

Qui sint, & quot effectus censuræ.



QUONIAM finis, & effectus, vt dixi,
in idè fere coincidunt, oportet in præ-
fenti distinguere duplicem finem cen-
suræ, scilicet remotum, & proximum,
qui etiam dici possunt intrinsecus, &
extrinsecus finis, vel etiam dici possunt finis operan-
tis, seu ferentis censuram, & finis (aut quasi obiectū)
ipsiusmet censuræ. Finis remotus, qui etiam extrin-
secus, & operantis dicitur est fructus ille bonus, quæ
prælati ferens censuram, intendit per huiusmodi
censuram, aut legem, qua censuram fert, qui etiam
potest esse multiplex, scilicet, temporalis, vel spiri-
tualis. Quando enim aliquis communicatur, v.g.
propter temporale damnum quod alteri intulit, vt
sæpè fit, & recte fieri potest, si debita circumstantiæ
feruentur, vt docent Theologi in 4. distinctione 18.
& specialiter Diuus Thomas question. 2. articul. 1.
quæstionula tertia: tunc fructus temporalis, per ta-
lem censuram intentus est, vt temporale damnum
alteri factum restituatur, vel aliquid simile. Quod si
talis fructus obtineatur, ille dici potest effectus cen-
suræ, quamuis remotus. Nunquam tamen fructus
temporalis est tantum, aut præcipue intentus per
censuram: nam cum illa sit pœna spiritualis, & gra-
uissima, nunquam esset imponenda propter tempo-
ralem fructum, nisi hic esset coniunctus cum aliquo
spirituali maioris æstimationis, magisque intentus
per ipsam censuram. Huiusmodi autem in primis
est obseruantia obedientie Ecclesiasticæ: deinde re-
paratio spiritualis lapsus commissi ab eo, qui cen-
sura ligatur, vt nunc à peccato resurgat, & tandem spi-
ritus eius saluus fiat in die Domini, vt dicitur primæ ad
Corinthios quinto. Atque hi omnes dici possunt
effectus censuræ remoti tamen, & valde extrinseci.
Imò considerata natura, & qualitate censuræ respec-
tu illius per accidens, & quasi per occasionem con-
sequuntur, licet respectu intentionis ferentis sint
per se: & ideo dixi huiusmodi magis esse finis feren-
tis censuram. Atque ita fere loquuntur de hoc fine,
& effectu passim, canonica iura, vt videre est in capi-
te primo de sententia excommunicationis in sexto,
& in capite primo de Exceptionibus eodem libro,
& in aliis, quæ vndecima quæst. 3. & 23. quæstione
sexta, & sub vtroque titulo de sententia excommu-
nicationis continentur. De hoc ergo fine, & effectu
remoto censuræ plura dicere est necesse.

Alius ergo est finis censuræ, qui est veluti obie-
ctum eius intrinsecum, ad quod proximè ordina-
tur, quod est ligare hominem spiritualiter, priuan-
do illum his, vel illis spiritualibus bonis, & est pro-
prius, ac per se effectus censuræ, tamen ex parte ferentis
illam, quam ex parte ipsiusmet censuræ. Ex parte qui-
dem ferentis, quia hæc debet esse proxima intentio,
imò supra diximus, huiusmodi intentionem esse
simpliciter necessariam ad valorem censuræ. Ex
parte autem censuræ, quia hoc solum est, quod ipsa
potest per se efficere, sicut proprius effectus vincu-
lorum est ligare, & corruptionis, seu priuationis au-
ferre: quamuis inde possit sequi per accidens alius
fructus, vel generatio.

De hoc ergo effectu loquendi dicendum est pri-
uationem aliquorum spiritualium bonorum esse
effectum communem omni censuræ: nulla enim
est, quæ aliquid huiusmodi non efficiat, vt inductio
ne facile probari potest ex multis iuribus, quæ ha-
bentur sub titulo de sent. excomm. & de cleric. ex-
comm. ministr. de ea nunc omitto, quia infra tra-
ctando de singulis censuris ex professo asserenda
sunt, & explicanda. Ad hoc vero etiam faciunt ea,
quibus supra probauimus censuram esse pœnam spiri-
tualem,

Finis censuræ
re duplex.

Quid sit fi-
nis remotus
censuræ.

D. Thom.

1. Cor. 5.

Quid sit finis
intrinsecus
censuræ.

3. Priuationem
aliquorum
spiritualium
bonorum esse
effectum com-
munem om-
ni censuræ.

rituale, quia priuat spiritalib. bonis. Et ibi etiam declarauimus, hunc effectum non ita esse adequatum censuræ, vt non priuet etiam aliquibus temporalibus bonis. Sed hoc illi specialiter attribuitur, tum, quia hoc est præceptum, & quod propriam rationem talis pœnæ constituit, tum etiam, quia hic effectus sine controuersia est communis omni censuræ, priuare autem temporalibus commodis, licet alicui conueniat, vt suspensioni, v. g. fortasse tamen non omnibus, quod infra videbimus. Tum deniq, quia etiam temporalia commoda non auferuntur per censuram, nisi quatenus annexa sunt spiritalibus, vt v. g. suspensio priuat fructibus beneficij, qui sunt annexi spiritali officio, & excommunicatio priuat ciuili communicatione fidelium, qui, quatenus tales sunt, inter res spirituales merito computantur. Hic ergo est proximus, per se, & communis effectus censuræ, priuare, scilicet aliquibus spiritalibus bonis. Quæ autem sint hæc spiritalia bona in singulis commodius explicabitur: nunc satis fit in genere dicere, esse res omnes sacras, quæ sunt in comuni, & publico vsu Ecclesiæ, vt sunt sacramenta, sacrificium, orationes publicæ, & quæ ad hæc ordinantur, vt templa, & alia huiusmodi, vel etiam ad quæ hæc ordinantur, vt sunt ipsimet fideles. Spirituality autem bona interna, quæ in gratia, & virtutibus consistunt, non possunt per censuram auferri, quia hæc nemo perdit inuitus, nec nisi per propriam culpam: censura autem extrinsecus imponitur inuitis, & culpa non est, licet culpam supponat. Per se ergo non auferit gratiam, auferit tamen vsum earum rerum, per quas ministerio Ecclesiæ grātia conferri solet, vt sunt sacramenta. De quibus omnibus postea sigillatim dicendum est.

Quibus spiritalibus rebus priuetur censura.

Effectus inuisibilis censuræ duplex.

Hic solum addenda sunt duo, quæ in superioribus inuoluta sunt: vnum est, huiusmodi effectum esse duplicem, seu dupliciter fieri a censuræ, scilicet, vel immediate, per se exequendo, & efficiendo illum: vel mediate, obligando tantum, aut ipsummet qui censura ligatur, vt se ablineat, & priuet talibus bonis, aut alios, vt ipsum priuent, seu cum illo non communicent. Vterque ergo istorum dici potest proprius, & per se effectus censuræ, siue in singulis censuris vterque effectus reperitur, siue non, quod postea videbimus. In rigore tamen loquendo prior effectus in se ipso fit immediate a censuræ: posterior vero non in se, sed in obligatione, seu mediante illo. Vnde, quando iura dicunt censuram per se ferre executionem in c. *Pastoralis*, s. *Verum*, de Appellationibus, vbi in particulari sermo est de excommunicatione, extenditur tamen ad suspensionem & interdictum, vt notant Doctores in c. *Isai*, de Sent. excomm. in c. hoc (inquam) dictum cum proportionem est intelligendum, & accommodandum. Nam prior effectus statim oritur ex censuræ in eodem momento, in quo absolute fertur, vel in absolutam transit per conditionem expletam, quando sub conditione lata fuit: posterior autem effectus in eo puncto non fit, nisi quoad obligationem, quæ postea executioni mandatur per voluntatem eius, qui censuræ ligatur, vel aliorum, quatenus ad eos talis obligatio pertinet. Considerat autem Iurista hunc effectum censuræ, quasi in hærentem illi, qui censura ligatur: non, quia re vera in illo aliquid ponat, aut auferat: sed quia illa obligatio moralis, eo modo, quo inesse potest, semper inest, & comitatur talem personam quocumq, tendat, sicut accidens subiectum. Ex quo nascitur, vt excommunicatus alicubi, quocumque incedat, semper excommunicatus sit, & consequenter, vt vbiq, vitandus sit, seu priuandus illis bonis, quibus per censuram priuatus est. Quod in singulis censuris, & præsertim agendo de excommunicatione, latius tractabitur.

Alterum notandum erat, hunc effectum censuræ ex Villius non esse perpetuum, sed talē, vt possit auferri. Suarez, Tom. 5.

ferri iure ordinario, & ex vi ipsius sententiæ ea intentione ferri, vt aliquando auferatur, quod in principio huius materiæ, in ipsa definitione censuræ annotauimus, vt aliquas pœnas Ecclesiasticas a ratione censuræ excluderemus. Quod circa quotiescunque similes effectus ex intentione Ecclesiæ inferuntur, vt perpetui, & immutabiles iure ordinario, signum sufficiens est, illos non inferri a censuræ, sed alia via, & ratione. At verò licet effectus censuræ perpetuus non sit, tamen non habet, neque habere potest (si proprie de censura loquamur) definitum tempus durationis, sed incertum, & indefinitum, scilicet, donec, consequto alio effectu per se intento a prælato, censura tollatur: nam, cum censura feratur ad reprimendam contumaciam, sicut contumaciæ ablatio, vel duratio non habet definitum tempus, sed pendet ex libera voluntate peccatoris: ita effectus censuræ per se non habet temporis limitem, de qua re iterum in Disputatione sequenti redibit sermo.

SECTIO II.

Quibus modis impediri possint effectus censuræ.



LIVD est loqui de impedimentis censuræ, scilicet, vt iniusta, & inualida sit, aliud verò de impedimentis effectuum censuræ, supposito valore, & existentia (vt sic dicam) ipsius censuræ. De priori sensu dictum est Disp. 5. hic posteriori disputabimus: nam priori modo non impeditur proprie effectus, sed ipsa censura omnino nulla est: vnde mirum non est, si nullum habeat effectum. Posteriori autem modo proprie impeditur effectus, supposita causa ex se sufficiente ad illum. Explicandum ergo est, an, & quomodo hoc contingere possit in censura.

Impedimentum censuræ duplex.

Ex qua declaratione intelligitur primò, quæstionem hanc non habere locum in effectibus remotis censuræ, quales sunt fructus omnes, qui per illam intendi, aut sperari possunt, vt sectione præcedenti declaratum est. Nam omnes illi impediri facile possunt, ne in re ipsa obtineantur, propter solam libertatem, & duritiem peccatoris. Et ratio est, quia hi effectus non fiunt per se ab ipsa censura, sed solum quasi excitando mentem & voluntatem, cui exgrationi voluntas resistere potest. Dico autem, hos effectus posse impediri, non tamen inculpabiliter impediri, quod in hac quæstione præcipue inquirimus, vt infra dicam: sed in hoc etiam resolutio est manifesta quoad hos effectus: nam si voluntariè & libere impediuntur, id non potest fieri sine culpa, quia intrinsecè malum est in contumaciæ voluntariè perseuerare: aliquando verò possunt impediri ex impotentia, sine voluntariè, & tunc fiet sine noua culpa, quia saltem fiet sine contumaciæ. Vnde quoad merè internos & spirituales effectus, qui sunt interna contritio, & resipiscencia, & consequenter, salus animæ, & gloria Dei, quoad hoc (inquam) non contingit, nisi vel casu aliquo, in quo antequam homo aduertat statum, & periculum suum, & quid agere debeat, vita, vel ratione priuatur, & consequenter potest resipiscendi, vel quia propter ignorantiam censuræ homo ab illa non mouetur, vt resipiscat. Potest enim censura ferri in ignorantem, vt supra diximus: quandiu autem ignoratur, nihil operari potest quoad hos effectus, cum solum operetur excitando, & mouendo affectum, qui modus operandi est media cognitione. At verò, si homo habeat cognitionem censuræ, tempus resipiscendi, non potest sine noua culpa hunc censuræ effectum absolute, & simpliciter impediri, cum contumaciæ suæ iam corrigere teneatur.

Effectus remoti censuræ per solam prauam voluntatem peccatoris impediri possunt.

K 2

Dico

3
Potest quis si
ne noua cul-
pa hunc effe-
ctum impe-
dire, ex bre-
uitate tem-
poris, vel
impotentia
moralis.

Dico autem, Absolutè, & simpliciter, id est, toto tem-
pore vitæ, aut diuturno: nam quamuis hic effectus
voluntariè impediatur per breuem moram, fortas-
se non semper erit noua culpa, quia hæc obligatio
non est ita vrgens, vt statim sine vlla mora sub reatu
nouæ culpæ mortalis executioni mandata sit, quia
hoc neque est humanum, neq; in ipsa forma censuræ
continetur, nec ratione aliqua efficaci conuinci po-
test: quare, si quis post cognitam censuram sibi la-
tam, non habet nouam voluntatem manendi in cō-
tumacia (hæc enim semper nouum peccatum erit)
sed solum non habeat statim voluntatem obediendi,
quod sibi præcipitur, sed circa alia ocnepetur, aut
aliquid temporis sumat ad cogitandum, & delibe-
randum, quid & quomodo sibi agendum sit, non
propterea statim nouum peccatum committet. Ca-
uendum tamen est, ne nimia sit mora: nam hæc sine
dubio est contraria fini, & intentioni censuræ, ita vt,
licet quod diximus verum sit, physice consideran-
do moram temporis, nihilominus absolute dici
possit, omnem moralem moram in hoc negotio ef-
se peccaminosam: quia, cum censura iam supponat
contumaciam quidquid illi moraliter additur, rationem
maioris contumaciæ habet: vnde, si nouo
affectu fuerit voluntaria, nonum peccatum erit.
Quanta vero futura sit mora, vt noua, & moralis
censenda sit, prudentis iudicio relinquendum est,
considerata materia censuræ, & occurrentibus cir-
cūstantiis.

Quoad externos verò effectus, restituendi, soluendi,
aut similes, facilius potest huiusmodi impedi-
mentum sine culpa interuenire, propter moralem
impotentiam, vt per se manifestum est. De qua im-
potentia non possumus hic generalem regulam tra-
dere, sed ex vnaquaque materia petenda est ratio ta-
lis impotentia, & quid ad illam requiratur. Aduer-
tendum est autem, hic non esse sermonem de impo-
tentia, quæ antecedit censuram ferendam: nam hæc
non solum impedit effectum, sed etiam ipsam cen-
suram ne valida sit, quia iam non fundatur in vera
contumacia, iuxta superius dicta: sed loquimur de
impotentia quæ post iam latam, & contractam cen-
suram consequuta est, illa enim, quamuis non statim
censuram auferat, vt sequent. disput. dicemus,
sufficit tamen, vt sine culpa impediatur prædictos cen-
suræ effectus, cum nemo peccet in eo, quod propter
impotentiam omittit.

5
Effectus im-
mediatè à
censura ma-
nentes nullo
modo impo-
diri possunt
illa manere.

Secundo sequitur ex declaratione tituli supra po-
sita, effectus illos, qui immediate, & per se sunt, &
executioni mandantur, per ipsam censuram, nullo
modo impediti posse, neque sine culpa, neque cum
culpa eius qui censura ligatur, quod secus est in aliis
effectibus, qui sunt media obligatione ipsius pec-
catoris. Declaratur prior pars, nam hi effectus sunt
per se, & non tantum per accedens, vt ostendimus.
Rursus censura ipsa ex se affert secum executionem,
iuxta c. Pastoralis. Et alioqui huiusmodi effectus non
pendet ex consensu, voluntate, aut scientia ipsius
peccatoris: ergo non est vnde tales effectus possint
impediti: non enim ex parte subiecti, in quod cen-
sura operatur, vt ratio facta ostendit: neque etiam
ex parte ferentis censuram, cum in eo sit voluntas,
& potestas, vt supponimus: neque ex parte alicuius
medij, vel distantia, aut similis impedimenti, cum
censura in absentem, & quantumvis distantem, vel
ignorantem operari possit, vt supra ostensum est,
cumque modus operandi illius sit, quasi incorpore-
us, & inuisibilis, eo quod purè moralis sit, in quo
modo operandi huiusmodi impedimenta interue-
nire non possunt. Neque etiam hic fingi potest resi-
stentia potentioris causæ, quæ hunc effectum impe-
diat: nam neq; talis causa ratione aliqua ostendi po-
test: neque in re de qua agimus interuenire potest:
causa enim potentior impedire possit, ipsam censu-
ram tollendo iurisdictionem, vel alio simili modo,

A tamen supposito valore censuræ, & vt ita dicam, in
sensu composito, nulla causa superior habet iurisdic-
tionem ad impediendum hunc effectum, cum sit
quasi de intrinseca ratione ipsius censuræ, nec potest
intercedere sufficientia, quia etiam iniusta sit,
dummodo sit valida, habebit hunc effectum, vt ex
superioribus constat.

Potest vero excipi ab hac generali regula casus
supra tractatus de priuatione iurisdictionis per cē-
suram, nam hic effectus ex illis est, qui immediate, &
efficaciter sunt per ipsam censuram, & nihilominus
si excommunicatus, v. g. sit ignoratus, & occultatus,
toleratus tamen publicè, non ita priuatur iurisdic-
tione, quin acta eius teneant ex prouidentia Eccle-
siæ propter commune bonū, iuxta leg. Barbatius, ff.
de Offic. Prætoris. Dicit verò potest, hanc non esse
propriam exceptionem, nam ille in se, & (vt sic di-
cam) in habitu priuatus est iurisdictione, in tali ve-
rò vsu, seu actu publico Ecclesia illam supplet, &
quasi actualiter inluit, non obstantē censuræ, vt ta-
lis actus valorem habere possit, quia ita expediri cō-
muni bono, vt dictum est. De quo vide Castrum lib.
2. de Lege pœnali, cap. 15. circa secundam conclusio-
nem finalem, & quæ ibi adducit.

6
Exceptio à
regula.

Castro.

De effectibus mediatè à censura manantibus.

Altera pars de alio genere effectuum probatur fá-
cile. Duo enim sunt in huiusmodi effectibus. V-
num est obligatio ad aliquid agendum, vel non a-
gendum, vt ad non communicandum, vel quid si-
milit: aliud est executio talis obligationis, scilicet,
non communicare, &c. Quantum ad primum aq-
paratur ferè hic effectus cum aliis, de quibus in pro-
ximo puncto dictum est, quia censura per se ipsam
inducit hanc obligationem, absq; ministerio, vel cō-
sensu eius, qui censuratur: & ideo quoad hanc
partem, etiam hic effectus impediti non potest. So-
lum quoad casum ignorantia potest constitui dif-
ferentia: nec hæc obligatio non requirit consen-
sum, requirit tamen obligationem: & ideo si quis
inimicabiliter ignoret se esse censuram ligatum, imp-
dierit hæc obligatio, siue dicamus, eam pro tunc
non oriri, siue excusare hominem, ne contra illam
agat, quod parum refert, nam quod attinet ad rem
moralem, eodem reuoluitur.

Quantum vero ad secundum, potest sine dubio
hic effectus impediti per voluntatem ipsius, qui cē-
sura ligatur: quia ex vi solius censuræ non cogi-
tur, quasi physice (vt sic dicam) (vt hunc effectum
exequatur, sed voluntariè, vt humano more illum
exequi debet: ergo per eandem voluntatem, & liber-
tatem potest illum non exequi, atque ita impedire
huiusmodi effectum. Veruntamen hoc per se loquē-
do, & ex vi censuræ non fit sine culpa, & graui, quan-
doquidem censura ex genere suo ad sui obseruatio-
nem grauitè obligat: & ideo, nisi ex leuitate ma-
teriæ culpa minuatur, ex genere suo huiusmodi
transgressio grauis est, & moralis. Non debet autem
nec potest hæc culpa inter effectus censuræ compu-
tari, quia hæc per se sequitur, neque intenditur, nec
censura præbet moralem occasionem illius, sed ali-
ter ex malitia occasionem sumit: sicut lex non est
causa culpæ, etiam si per eius transgressionem com-
mittatur: est enim lex iusta & sancta, vt ait Paulus,
licet, qui ea male vtitur, prauus sit: ita ergo censura
bona est, & ideo non est causa culpæ, licet per eius
violationem committatur.

Solet autem propter hanc culpam noua censura,
vel nouum impedimentum Ecclesiasticum incurrere,
vt excommunicatus celebrans sit irregularis, & cō-
municans cum excommunicato incurrat excommu-
nicationem minorem, & hoc modo dici solet irre-
gularitas

8
Effectus h-
possum per
ligatum im-
pediri.

Non tamen
per se loquē-
do sine cul-
pa.

Hanc autem
culpam, & po-
nam, quæ ali-
quando pro
illa fertur
non potest
dici effectus
censuræ.

9

gularitatis interdum esse effectus censura, & vna censura alterius. Veruntamen neq; hic propriè inter effectus numerandus est, tum, quia est valde remotus, & noua lege, aut sententia impositus, & non ex vi prioris censura: tum etiam, quia culpa, quæ ibi interponitur, propter quam hæc noua pœna imponitur, non est effectus censura, vt dixi: ergo neque ipsa pœna, quæ magis remore comparatur ad priorem censuram, & per nouam voluntatem superioris fit, potest dici propriè effectus talis censura. Ac tandem, quidquid sit de hoc modo loquendi, hic non possumus commodè de huiusmodi pœna dicere, quia nulla est certa, quæ ex violatione censura in communem nascatur, sed in singulis censuris, iuxta varios modos violandi illas, oriuntur variae pœnæ, & respectu alicuius specialis transgressionis fieri potest, vt nulla talis pœna sit ipso iure imposita, ac propterea hæc omnia commodius declarabuntur in singulis censuris, & explicando varios modos peccandi contra illas.

Alio tandem modo potest impediri, seu non dari executioni hic effectus censura sine culpa eius, qui censura ligatus est, & hoc solum est, quod hic indiget declaratione. In quare hanc in primis statuo generalem regulam, scilicet, hoc nunquam posse accidere per se secundum morem considerationem, sed solum per accidens stante censura in sua vi. Illud voco per se fieri morali consideratione, quod ex certa scientia, & libera voluntate fit: per accidens autem dicitur fieri, quod, vel propter ignorantiam, vel propter impotentiam seu vim physicam aut morem fit. Ex qua declaratione facile constat proposita regula: nam censura ex se obligationem inducit, ergo, si feruari potest, & sufficiens cognitio interuenit, fieri non potest, vt absque culpa violetur. Dixit autem, *Stante censura in sua vi*, quia, si sit aliquo modo suspensa, vel impedita, iam tunc ea ratione etiam eius obligatio poterit esse suspensa, & consequenter tunc poterit sine culpa hic effectus impediri, seu non mandari executioni. Quod etiam poterit per accidens contingere propter ignorantiam vel impotentiam, etiam dum censura in sua vi permanet, & quantum in se est, obligationem inducit. Igitur hæc tria explicanda supersunt, scilicet, quomodo contingat per ignorantiam, & quomodo per impotentiam, & quo item modo possit vis censura suspendi, vel impediri.

Per ignorantiam posse hos effectus sine culpa impediri.

CIRCA primum punctum de ignorantia fere nihil noui dicendum occurrit, sed generales regulæ de ignorantia superius insinuatæ applicandæ sunt. Nam censura quoad hunc effectum solum habet vim cuiusdam Ecclesiastici præcepti, vt in sequenti puncto amplius declarabo: & ideo, ita potest ignorantia excusare à culpa in eius transgressionibus, sicut in aliis Ecclesiasticis præceptis. Vt ergo talis ignorantia excuset, oportet in primis, vt inuincibilis sit, nam, si sit culpabilis non excusabit, cum ipsa tunc voluntaria sit, & in ea consequenter sit voluntarius effectus subsequens. Quando verò sit iudicanda inuincibilis quoad vero culpabilis, iuxta regulas superius positas disp. 5. sect. vlt. iudicandum est. Nam quæ ibi diximus circa transgressionem legis, cui est annexa censura, eadem proportionè locum habent in transgressionem ipsius censura: & omnes modi ignorantia ibi insinuati, possunt etiam hic interuenire.

Nam primò potest interdum hoc esse ignorantia iuris, vt si quis ignoret esse prohibitum ex vi interdicti audire Missam in die festo in loco interdicto: aut potest esse ignorantia facti, vt si quis ignoret hunc

Fr. Suarez, tom. 5.

locum esse interdictum: & vtraque excusat, si inuincibilis sit, vt esse potest: & neutra, si vincibilis, quamuis facilius admittatur, vt præsumatur ignorantia inuincibilis in facto, quam in iure, vt supra etiam dictum est. Rursus potest ignorantia hæc interdum esse quoad habitum, & actum primum, vt in exemplis positis: interdum verò solum actualis inconsideratio, vt cum quis omnino oblitus quod excommunicatus sit, celebrat, quæ inconsideratio perinde efficax est ad excusandum à culpa, ac totalis ignorantia, si æque inuoluntaria sit. Quod est valde aduertendum ad iudicandum de irregularitate, vel de alia noua censura incurta per violationem censura: nam quacumque ratione talis violatio excusetur à culpa, vel propter solam naturalem inconsiderationem, excusabitur noua censura, vel etiam illa irregularitas, quæ non nisi propter talem culpam imponitur, vt suo loco latius dicemus.

Vltimò circa hunc punctum de ignorantia aduertendum est, aliud esse censuram, vel effectum eius ignorari ab ipso, qui ligatus est, aliud verò esse occultum, vel incognitum aliis. Nam quæ diximus procedunt de propria ignorantia, quæ reddit actum ipsius operantis inuoluntarium, & ideo excusat. At verò, quod ignorantia sit occulta, aut ab aliis ignorata non excusat ipsum ligatum quominus censuram seruare, & effectus eius exequi debeat, per se loquendo. Quia, quod censura sit occulta, seu non sit denunciata, aut publicè promulgata, nihil minuit de valore, & efficacia eius: nam denunciatio, vt dicitur in cap. *Pastoralis*, §. *verum*, de Appell. non ligat de nouo, vnde nec per se auger obligationem ipsius ligati, nec tā sit propter ipsum, quā propter alios, vt & possint, & debeant excommunicatum, v. g. vitare, vel alio modo ad ipsos pertinente censuram seruare, maxime post Extrauag. *Ad euitanda scandala*. De qua infra in materia de Excommun. latè dicturi sumus, vbi etiam explicabimus, quo modo excommunicatus non denunciatus, seu occultus teneatur ipse abstinere, cum alij non teneantur ipsum vitare, & quomodo hæc duo inter se cohereant. Nunc vbi in genere agimus, satis sit generatim dicere, eum, qui occultè ligatus est, ex hoc solo capite, quod eius censura est ignorata ab aliis, non excusari efficiendo actum per censuram prohibitum. An vero ex alio capite, scilicet propter ius, vel commodum aliorum interdum non sit censendus prohibitus talis actus vsque ad denunciationem in citato loco dicendum est, & in discursu huius sectionis aliquid attingemus.

Per quam impotentiam possent effectus censura impediri.

CIRCA secundum punctum de impotentia, si illa sit physica, & totalis, vt sic dicam, nulla est difficultas, quia tunc actio prorsus est inuoluntaria: vt si excommunicatus per vim cogatur ad esse sacrificio Missæ, vel aliud simile opus facere, quod etiam definitum est in c. *Sacra*, de his, quæ vi, meiusve causa fiunt. Difficultas ergo solum est de impotentia morali, quæ intercedere censetur in his, quæ sine magno incommodo, & difficultate vitari non possunt. Quod primò accidere potest ex causa extrinseca inferente metum, & comminante mortem, vel aliud simile nocumentum, nisi aliquid agatur, quod ex vi censura prohibetur. Deinde ex aliis circumstantiis, vel occasione oriri potest morale periculum alicuius grauis nocumenti temporalis, vt infamiae grauis, vel alterius similis. Item aliquando potest timeri scandalum aliorum, & in omnibus his casibus est difficultas, quia verò res grauis, melius sectione sequente expeditur.

K 3 SECTIO

10
Per accidens
possumus hic effectus sine
culpa impediri.

11
Ignorantia
excusans de
bet esse in i-
pso censurā
ligato.

11
Variis modis
ignorantia
proprie dicitur.

SECTIO III.

*Virum metus impedire valeat effectum censuræ
ita ut sine culpa omittatur.*



Liquorum opinio fuit propter me-
rum nunquam licere agere quid-
piam prohibitum per censuram, eti-
am si malum, quod timetur, sit ipsa
mors, & metus ipse tam grauis sit, ut
in virum constātem cadere possit. Ita sentiunt mul-
ti auctores, qui tamen non in genere de omni cen-
surā, nec de omni effectu loquuntur: sed de commu-
nicatione cum excommunicato, quam putant esse
ita intrinsece malam, ut propter nullum metum
licere possit. Ita sentit Alex. Alenf. 4. p. q. 81. memb.
6. art. 2. alias q. 23. memb. 1. art. 6. §. 2. Qui non tantū
de communicatione in sacris, sed absolute de com-
municatione cum excommunicato loquitur, & nō
tam ex parte ipsius excommunicati, quam ex parte
aliorum: tamen inde à fortiori colligitur idem di-
cendum esse de excommunicato, & ex similitudine
rationis de quocunque ligato per censuram, ad pro-
prios actus cum proportionem comparatam. Adhi-
bet verò limitationem, scilicet, si sufficiente delibe-
ratione, & consideratione id faciat. nam tunc, ait, nō
facit sine contemptu. Hæc tamen ratio infirma est,
nam, qui ex solo metu facit licet voluntariē, violent-
ter facit, & ideo non contemnit, imò ipse metus,
quantum est ex se excludit contemptum, si aliunde
non proueniat. Eandem verò sententiam indicat D.

Alenf.

D. Thom.

Durand.
Gabr.
Richard.
Caietan.
Petr. Soto.

Thomas quodlibeto 11. articulo 9. & in 4. distinctio 18.
quæst. 2. articulo 4. quæstioncula tertia ad primum,
& ibi Durandus q. 5. ad 3. Gabriel quæstione tertia,
subio quarto, & inclinatur Richardus art. 6. quæst. 2.
ad 1. & Caiet. 1. 2. quæst. 96. articulo 4. & 2. 2. quæst. 125. &
Petrus Soto lectione tertia de excommunicatione.
Vbi etiam de excommunicatione extra diuina ait,
non excusari à culpa veniali, licet propter metum
mortis fiat, quia veniale peccatum, etiam propter
vitandam mortem, faciendū nō est. Hoc verò impro-
babile censeo, ut à fortiori constabit ex dicendis. Nec
enim quisque dicit peccatum veniale posse fieri ad
vitandam mortem, sed periculum mortis ita suspē-
dere obligationem legis, ut quod alias esset peccatū
veniale, iam tunc non sit: nam si peccatum veniale
est, & non est de re intrinsece mala, signum est obli-
gationem, esse satis leuem: ideoque non solum pro-
pter periculum mortis, sed etiam propter minorem
causam posse suspendi, seu cessare. Tandem prædi-
ctam communem sententiā tenet Adrianus quodli-
bet. primo, art. 3. & in 4. q. 3. de Clauibus, vbi refert
alios Canonistas, præsertim Abbatem dict. ca. Sacris
circa finem. Idem tandem tenet Couarruias dict.
§. 3. num. 9. referens aliquos, quamuis aliis locis infra
citandis, vel hoc limitare, vel non satis consequen-
ter loqui videatur.

Adrian.
Couarr.

Fundamentum huius sententiæ sumitur ex c. Sa-
cris, de His, quæ vi, vbi simul dicitur, communi-
cationem factam cum excommunicato per vim, ex-
cusare à culpa: factam autem per metum, non excu-
sare, quia prior est simpliciter voluntaria, posterior
verò simpliciter voluntaria est, & ideo à mortali
peccato non excusat. Ratio verò reddi potest, quia
hæc prohibitio censuræ grauisima est, & ideo obli-
gat, non obstante quocunque metu.

3
Quodā no-
tanda pro
dubio resolu-
tione.

Sed hæc sententia magna moderatione indiget,
quia præcisè sistendo in his, quæ prohibentur per
censuram, quatenus sic prohibita sunt, non videtur
illa sententia posse sustineri: distinguenda ergo est
in præsentī duplex actio, quæ posita censura prohi-
bita manet: vna intelligi potest intrinsece mala sup-
posita censura: alia non intrinsece, sed solum quia
prohibita, ut v. g. Sacerdotem excommunicatum,
vel suspensum publicè, audire sacramentum con-

fessionis, & absolueri, aut excommunicare alium
intrinsece malum est, quia est intentare sacramen-
tum, quod nullum futurum est, ex defectu iurisdic-
tionis, at verò eundem sacerdotem facere sacrum,
non est intrinsece malum, sed solum quia prohibi-
tum, quantum est ex vi censuræ, quod ideo addo,
quia si talis sacerdos sit in peccato mortali, inde erit
actio intrinsece mala, vel etiam, si sequatur scanda-
lum: hæc tamen non sunt per se annexa censuræ,
prout nunc loquimur.

Rursus distinguendum est de metu, si incutiat
in odium religionis, potestatis, aut censuræ Eccle-
siasticæ, aut in eius contemptum, vel, si solum incu-
titur propter alias causas, aut rationes humanas.
Nec enim necesse est, ut hoc ipso quod metus incu-
titur ad agendum aliquid contra prohibitionem
censuræ Ecclesiasticæ, sit in odium, aut contemptum
Ecclesiasticæ disciplinæ, sed aliquando potest esse
propter delectationem, v. g. si quis per metum cogat
excommunicatum, ut secum confabuletur vellu-
dat, & perinde est, si è conuerso ipse excommunica-
tus alios cogat ad secum communicandum. Inter-
dum etiam potest hoc fieri propter avaritiam, vel
temporale lucrum, ut si quis metu mortis cogat sa-
cerdotē tempore interdicti facere sacrum propter
aliquod temporale lucrum, vel ut excuset aliquas
expensas. Et multa alia similia motiua possunt facile
excogitari in inferendo hoc metu, quæ per se non
cedant in contemptum Ecclesiæ.

Quando ergo ex suppositione censuræ resultat
in actione aliqua circumstantia, ratione cuius est in-
trinsece mala, tunc manifestum est, ob nullum me-
tum fieri posse, quia non obstante metu actio manet
eiusdem naturæ, & cum iisdem circumstantiis: nam
metus non conferit iurisdictionem, si censura illam
abstulit, & idem est in similibus: ergo non obstante
metu, actio manet intrinsece mala: ergo non potest
licite fieri etiam propter vitandam mortem. Quod
non solum verum est de malitia graui, quæ pecca-
tum mortale constituit: sed etiam de veniali, quia
etiam leue mendacium propter vllum malum vitan-
dum dici non potest. Hoc enim modo est vniuersa-
lis illa regula Apostoli. *Non sunt faciendā mala, ut
veniant bona*: esset enim aperta repugnantia in termi-
nis: nam si essent faciendā, scilicet licite, & secun-
dum rectam rationem, iam non essent mala.

Deinde quando metus infertur in odium, vel
contemptum Ecclesiæ, tunc nunquam licet ob me-
tum agere, quod per censuram prohibitum est. Hoc
etiam est per se notum, quia nullam legem Ecclesia-
sticam licitum est transgredi ob huiusmodi metum,
quia esset, vel virtualiter negare fidem exterius, vel
virtute contemnere, & contemptori cooperari. At-
que ita intelligunt multi factum Hermingildi, qui
potius mori voluit, quam Eucharistiam ab hæreti-
co sumere cap. *Superueniente*, 1. q. 1. & cap. vlc. 24. q. 1.
ex Gregorio lib. 3. Dialogorum c. 31. Atque ita tandem
limitare videtur priorem sententiā Adrianus quodli-
bet. 6. art. 2. ad secundam rationem. Veruntamen
in his duabus propositionibus nihil speciale censuræ
attribuitur, nam in omni genere actionis verum est,
quod si ex aliqua mutatione obiecti, vel circum-
stantiarum reddatur intrinsece mala, fieri non pos-
set propter cauendum quodcunque damnum tem-
porale. Ut in actionibus etiam forensibus si quis pri-
ueretur iurisdictione, quam antea habebat, iam non
licebat illi ob vitandum temporale incommodum,
aut quacunque alia ratione actionem eius exercere.
Simili modo, in quacunque re prohibita per legem
præsertim Ecclesiasticam, verum est, si in contem-
ptum eius inferatur metus, non licere ea de causa
transgredi legem, ut supra tactum est; & in materia
de Legibus latius est dicendum. Hæc igitur duo nō
ex propria ratione censuræ, sed ex generalibus prin-
cipiis rerum moralium oriuntur.

Tertio

Sect. III. Vtrum Metus impediat obligationem, &c. 113

7
de viandis
grauis detri-
mentum fieri
potest licet
quid sub cen-
surâ prohibe-
atur.
Soto.
Palud.
Maior.

8
Sylvest.
Angel.
Nauarrus.

8
Ratio concili-
atur.

9
Palud. oc-
currit.

Tertio igitur dicendum est, ob vitandum graue detrimentum, quod moraliter timetur per externam coactionem, seu comminationem fieri potest absque peccato id quod per censuram prohibitum erat. Hæc assertio intelligitur per se loquendo, id est, secundo scâlo iniuria religionis, & similibus. Eam tenet Soto in 4. d. 2. q. 1. art. 4. & sumitur etiam ex Palud. d. 18. q. 6. art. 2. & ex parte idem sentit Maior ibi q. 4. scilicet, quantum ad illos actus, qui prohibentur per censuram de iure humano, & non de iure diuino: putat autem ipse aliquos esse prohibitos iure diuino, & ideo in illis negant hanc assertionem. Sed, & fundamentum illud falsum est, per se loquendo de actu non per se & intrinsece malo, sed solum, quia prohibito, de quo nunc loquimur, nam de priori iam in prima propositione dictum est. In hoc igitur sensu loquendo, nullus actus prohibetur iure diuino ex vi censuræ, sed tantum iure Ecclesiastico, ut sita tim ostendam ex principiis positiss in initio huius materiae. Et præterea, etiam si hic interueniret ius diuinum posituum, & non naturale, non inde fieret obligare semper cum tanto detrimento ut periculo mortis, v. g. vel simili: nam etiam ius diuinum posituum potest in hoc moderationem habere, & non semper cum tanto rigore obligare, de quo alias. Vnde eandem sententiam absoluit, & sine restrictione tenet Syluest. verb. *Excommunicatio*, 5. quaest. 14. & Angelus *Excommunicatio*, 8. numero 18. & Nauarr. in cap. *Inter verba*, præludio 3. numero 4. qui omnes in specie loquuntur de communicantibus cum excommunicato, etiam in sacris, tamen ratio procedit de excommunicato, & consequenter de omni censura, & de omni actu eius, qui solum sit malus, quia prohibitus.

Est autem ratio, quia lex positua, præsertim humana, non obligat cum tanto rigore, ut cum grauissimo detrimento, vel periculo seruanda sit; sed tota hæc prohibitio, qua homo censura ligatus prohibetur hoc vel illos actus facere, est mere positua, & Ecclesiastica: ergo in casu prædicti metus, & periculi cessat. Maior est veluti axioma quoddam receptum in materia de Legibus: iam enim exclusimus peculiarem casum, quando violatio legis cederet in contemptum eius, vel Ecclesiasticæ potestatis, sub quo comprehendimus omnem causam, seu rationem publicam boni communis, propter quod, si moralis occasio id postulauerit, potest lex humana obligare etiam cum periculo mortis. Tamen extra hunc specialem euentum lex humana, per se loquendo, & regulariter, non ita obligat, etiam si Ecclesiastica sit, quia, vel in Ecclesia non est tanta potestas ad obligandum cum eo rigore, vel quia, etiam si sit, ex suaui & prudenti prouidentia non vitur illa, absque urgente necessitate, quia neque ad commune bonum necessarium est, neque expedit: & ideo omnes sapientes ita interpretantur huiusmodi leges. Minor autem probata est in principio huius materiae, ubi ostendimus, omnes effectus censuræ immediate & per se pertinere ad ius humanum, & non ad diuinum. Et probatur facile, quia vel hoc ius diuinum est posituum, & oportet illud ostendere, nullibi enim extat, aut est naturale intrinsece ortum ex aliqua circumstantia, vel indecentia, quam censura secum afferat, & hoc etiam dici non potest; quid enim est, cur ex natura rei malum sit, quod excommunicatus Missam audiat, nisi Ecclesia hoc illi prohiberet?

Dices, in ipsa censura intrinsece includi hanc prohibitionem, & ideo illud ius diuinum, quod præcipit Ecclesiæ obedire, ad hoc etiam obligare. Respondetur, illud est remotum, quo modo ius diuinum & naturale obligat ad seruandas omnes leges humanas, tamen proxime Ecclesiastica prohibitio est quæ obligat, quæ prohibitio in ipsa censura intrinsece includitur, nihil enim aliud est censura, quam morale quoddam vinculum ex quibusdam priuationibus, & prohibi-

tionibus moralibus ab Ecclesia confectum, ut in medicinali pena pro contumacia infligitur; est ergo tota hæc prohibitio positua & Ecclesiastica. Et confirmatur, nam communicatio cum excommunicato etiam in sacris est prohibita iure humano: ergo & aliæ actiones, quæ non includunt intrinsece crimen, aut malitiam, quæ ex vi censuræ prohibentur, vel ipsi ligato, vel alius erunt prohibita iure humano. Consequentia ab omnibus admittitur, antecedens vero patet, quia illa communicatio non est intrinsece mala, aliquando enim est licita, etiam iure antiquo, ut patet ex cap. *Cum non ab homine*, de Sent. excomm. & ex nouo iure Extrauagantis, *Ad euitanda*, licita est quædiu excommunicatus non est denuntiatus, quod etiam est signum, eam non esse de iure diuino posituam, cum Ecclesia eam limitet, vel ampliet, prout expedire cõser.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ, quod præcipue sumatur ex c. *Sacra*, respondetur, Pontificem in eo textu non constituere vniuersalem regulam negatiuam, sc. metum nunquam in hac materia excusare à peccato mortali & non a censura, sed de absoluta vi regulam generalem affirmatiuam constituere, semper excusare à culpa, & consequenter à censura. Quod ergo subdit metum non excusare, proportionate intelligendum est per solam contradictionem, non per contrarietatem, i. non semper excusare: non vero quod nunquam excuset. Mens ergo Pontificis fuit docere, metum ex se non habere illam efficaciam, quam habet vis ad impediendam censuram, quia non semper excusat à culpa mortali, sicut illa, simulque docere voluit, quoties metus non excusat à culpa mortali contra Ecclesiæ prohibitionem de non communicando cum excommunicato, non excusare à censura.

Quando autem talis metus non excusat à peccato mortali non declarat Pontifex, sed id explicandum relinquit interpretibus. Intelligi ergo potest, tunc non excusare, quando communicatio intrinsece includit malitiam, ut est communicatio cum iniuria fidei, vel contemptu censuræ, vel communicatio in crimine, propter quod censura lata est, seu in contumacia: & in vniuersum communicatio, quæ est cum cooperatione ad actum malum, & censura contrariu, nam talis cooperatio semper est intrinsece mala, qualis esset dare Eucharistiam excommunicato denuntiato petenti cum comminatione mortis, id enim nunquã liceret, quia aliunde iam habet intrinsecam malitiam: & ideo pertinet ad primum membrum in prima propositione positum. Quod maxime certum est; quando peccatum, non obstante metu, directe est contra ipsam censuram, vel Ecclesiasticam potestatem, vnde manat: nam tunc non obstante metu, ipsum Ecclesiasticum præceptum obligat, cui annexa est censura. At vero quando peccatum non est contra censuram, sed aliunde, scilicet, contra dignitatem sacramenti, vel aliquid huiusmodi, tunc probabiliter dici potest specialem prohibitionem Ecclesiasticam cessare; & consequenter censuram illi annexam excusari, ut latius explicabimus agentes in particulari de excommunicatione, & aliis censuris. Alia interpretatio illius textus est: loquitur Pontificem in illa secunda parte de metu leui, qui ad excusandum non sufficit, ita ut in priori parte illius textus nomine coactionis intelligatur non tantum absoluta vis, sed etiam moralis coactio per metum cadentem in constantem virum; in posteriori vero parte sermo sit de quolibet inferiori metu; ita enim nomen coactionis interdum in iure sumi constat ex c. *De iudiciis*, 45. d. Sed prior expositio mihi magis probatur.

Ad rationem illius sententiæ respondetur, etiam si prohibitio censuræ grauis sit, non tamen semper esse talem, ut in singulis actibus eius executio, & inuolata obseruatia ad commune bonum necessaria sit, aut ex opposito actu sequatur grauis offensio; tamen

16
Cap. Sacris
quod erat
Fundamentum
tunc contra-
ria sententia
satisfit.

11

12
Respondetur
ad rationem
contrariam sen-
tentiam.

aut iniuria Ecclesiae, vel aliquid huiusmodi, propter A quod debuerint obligare fideles ad eam seruandum, non obstante probabili metu mortis. Imò hinc potius fit, nò solum propter metum mortis: sed etiam propter metum grauis infamiae, & iacturæ temporalium bonorum magni momenti, posse excusari hominem ab hac obligatione ex eodem principio, quod leges positivæ non obligant cum tanto rigore extra casus speciales supra positos, quod ex sequenti puncto magis constabit.

13
Licitum esse
exercere ac-
tionem sub
censura pro-
hibita ad vi-
tandū gra-
ue detrimen-
tū, licet non
oriatur ex
metu.

Ex dictis itaque in præcedenti puncto de peri-
culo proueniente ex metu, à fortiori colligitur quā-
do non ex metu extrinsecus illato, sed ex aliis cir-
cumstantiis, vel occasionebus oritur simile detri-
mentum, licitum esse propter illud vitandum exer-
cere actionem per censuram prohibitam. Ita docet
citati auctores, & alij, quos in sequenti puncto refe-
ram, est enim vtriusque fere eadem ratio. Exempla
sunt, si quis sit excommunicatus omnino occultus,
& non possit hodie statim absolutionem obtinere,
neque etiam possit sacrum omitttere sine infamia &
nota totius populi: tunc licitum est ei sacrum audire, ne
se prodat, & idem est in similibus casibus. In quibus
prudencia opus est ad ponderandam, & periculi, &
nocuenti grauitatem ex vna parte, & ex alia qua-
litate actionis prohibitæ, & circumstantias eius,
vt ita rationabiliter iudicari possit, an in tali euen-
tu obligatio censurae, & prohibitio cessent: in com-
muni tamen loquendo, non videtur dubium, quin
in hoc capite possit cessare. Sequiturque hoc à for-
tiori ex dictis: nam magis excusatur periculum grauis
nocuenti, quasi ab intrinseco ortu ex ipso huma-
narum reru statu, quam extrinsecus illatu: quia ex-
trinseca coactio, cum ex directa intentione inducat
ad transgressionem legis, natura sua maiore vim in-
fert ipsi legi, & quasi iniuriā quandā altera vero ne-
cessitas, quæ ex ipsis rebus oritur, nò ita directe in-
fertur propter transgressionem legis; solū illa existen-
te, actus, qui videbatur censura prohibitus, fit me-
dium necessariū ad vitandū illud periculum: ergo si
prior necessitas ex metu proueniens, excusat, multo
magis hæc altera. Et confirmatur, nam propter simile
occasione licet interdum dimittere, quod iure diui-
no præceptū erat, vt, si non possum cōfiteri vnū pec-
catū sine graui infamatione, vel sine periculo mor-
tis, possum illud tacere, & alia confiteri, & sacerdos
habens conscientia peccati mortalis, & inopia cō-
fessoris, si nò potest absque graui infamia omitttere
sacrum, potest illud facere, præmissa contritione, &
absq; confessione: ergo idē erit in præsentī. Neque in
hoc est specialis difficultas, præter superius tractata,
cum his, quæ in sequenti puncto addemus.

14
Propter vi-
tandū gra-
ue scandalum
licitum esse
agere ali-
quid præ-
ter obliga-
tionem cēsu-
ræ.

Vt prius ex dictis sequitur, etiam propter vitandū
grauē scandalū aliorū, licitū esse prætermittere, vel
agere aliquid præter obligationē censuræ, vt v.g. au-
dire sacrum, vel aliquid simile, ex cuius omissione
grauē aliquod scandalū timetur. Ita tenere multos
dixit Nauar. in cap. 1. §. *Labore*, in fin. de Pœnit. d. 6. sē
vero ait in præsentia nihil pronuciare, id tamē ex-
pressè affirmat in Summa. cap. 27. nu. 239. vbi ait de
casu infamiae supra posito, sed à fortiori idem est de
casu scandali, & ita vtrūque coniunxit Castro lib. 2.
de Leg. pœnal. cap. 15. circa 2. conclus. & idem docet
Soto in 4. d. 18. qu. 2. artic. 5. vbi ait, grauissimum
debere esse scandalum, vt eius vitandi causa, hoc
liceat, loquitur tamen in specie de sumptione Eu-
charistiae, vnde videtur ibi corrigere, vel limitare
quod d. 12. q. 1. art. 4. in fin. dixerat, excommunicato
etiam occulto non licere propter scandalum ad sa-
cramentum accedere. Ac tandem videtur hæc ex-
pressa sententia D. Thomæ 3. part. quæst. 83. artic. 6.
ad 2. in verbis illis. *Nisi graue scandalum timeatur*,
propter quod vitandum fatetur posse aliquando,
sacerdotem excommunicatum sacrificium pertere,
quod secluso scandalo teneretur omitttere. Ratio

denique est sæpe tacta, quod leges humanæ ac pō-
sitiuæ non obligant cum scandalo proximorum. I-
tē, quia maius malum est aliorum scandalum, quā
infamia propria: ergo; si hoc licet ob vitandam pro-
prium infamiam; multo magis propter vitandū gra-
ue scandalum, ad quod ex præcepto charitatis, quod
gravius est, & magis obligat, tenemur. Vnde hac ra-
tione licet dare Eucharistiam occulto peccatori pu-
blice petenti: ergo &c.

Contrariam nihilominus sententiā tenet Syluest. vt
Couarr. refert in c. *Alma*, 1. p. §. 2. n. 1. qui illud in-
finuat verb. *Excommunic. 3. nu. 1. §. Quinto* excluditur,
licet oppositum sentiat in verb. *Eucharistia*, 2. nu. 10.
Cum Angelo eod. verb. n. 6. ipse vero Couarr. expar-
te idem sequitur, dicens, quoad alios actus esse verē
nostram sententiā, non verò quoad vsum sacra-
mentorum, nam quando aliquis per censuram pri-
uatus est receptione sacramentorum, etiam si censu-
ra occulta sit, non potest propter vitandum scandā-
lum illa recipere, vel Missarum solennia celebrare,
quia ipsa censura efficit hominem indignum vti
sacramentorum, præsertim excommunicatio mai-
or, quæ ab vnione fidelium hominem separat, & idē
eo talis actus est contrā ius naturale, & diuinum:
nunquam ergo licet, etiam propter vitandum scan-
dalum. Et quoad hoc constituit differentiam inter
ipsum excommunicatum, & alios, qui cum ipso co-
municant: quia censura magis separat excommuni-
catum à communione, & vti sacramentorum, quā
alios à communicando cum illo, vt docuit Glossa in
c. *Quoniam*, 11. q. 3. & sumitur ex c. *Illud*, ne C. excom-
munic. & nos suo loco inferius dicemus. Sic igitur,
et si propter vitandum scandalum licitum sit sacra-
mentum ab excommunicato accipere, non tamen
licet ipsi excommunicato recipere. Vnde etiam
infert cum Adria. qu. 3. de Clau. nunquam licere da-
re sacramentum excommunicato occulto, propter
vitandum scandalum, quia esset cooperatio ad rem
intrinsece malam. Et idem tenet Iacobus de Grassi.
lib. 1. Decis. cas. conscient. cap. 12. num. 12. & sequen-
tibus.

Citatur etiā pro hac sent. Canus, Relect. de Pœ-
nit. p. 3. qui specialiter loquitur de absolutione sa-
cramentali, in qua id poterit habere verum, quādo
ex defectu iurisdictionis absolutio nulla futura est;
nam tunc intrinsece malum est talem actum effice-
re, & ideo nunquam erit licitum propter vitandum
scandalum, iuxta generalem regulam supra positi-
tam. Vix tamen potest hæc actio esse necessaria ad
vitandum scandalum, cum secretissime fiat cum
solo pœnitente, vel si publice audiendæ sint cōfes-
siones, potest quis alias occasiones querere, ne tunc
illo munere fungatur. Vel certe, si tandem non pos-
sit, & alioqui censura sit occultissima, iuxta aliam
regulam supra positam Ecclesia iurisdictionem cō-
fert ministro sic toleratō, quando talem actionem
exercet, & ideo, iam tunc actio non erit intrinsece
mala, sed eadem ratio erit de illa, quæ de aliis. An
vero idem sit dicendum, quando talis excommu-
nicatio ministri publica est aliis, quamuis pœnitenti
sit occulta, attingemus infra agentes de excommu-
nicatione: prius enim oportet exponere nouum ius
statutum circa excommunicatos in Extrauāg. *Ad e-
uitandā*, Conc. Constat. quo supposito, vix potest ta-
lis casus accidere.

Opinio autem, seu limitatio Couarr. nulla sū-
ficiēti ratione fundata est, nā censura per se præcise
considerata, non ponit in homine peculiare quali-
tatem, aut cōditionem ab Ecclesiastica prohibitio-
ne distinctam, propter quam receptio sacramenti in-
iuriōsa illi sit, seu indigna facta, etiam si Ecclesiastica
prohibitio aliunde esset; sed ostēsum est, periculum
scandali grauis sufficiētem causam esse vt cesset pro-
hibitio Ecclesiastica: ergo Maior patet tum ex dictis
in principio huius materie de natura, & influentia
censuræ.

15
Censura
excluditur
licet
oppositum
sentiat
in verb.
Eucharistia,
2. nu. 10.

Glossa

Adrian.

Grassi.

16

17
Limitatio
Couarr. im-
probatur.

censuræ

Sect. III. Vtrum, metus impediatur obligationem censuræ. 117

Censuræ, tum etiam ex dictis de operatione ex metu cadente in constantem virum; tum etiam, quia is, qui ligatus est censura, potest coram Deo iustificari per contritionem, vel etiam per confessionem bona fide & dispositione factam: ergo cum sit sanctus, poterit sancta sancte tractare. Aliunde vero, supponitur censura esse occulta, etiam coram hominibus, & secundum publicam existimationem habet ius saltem præsumptum ad usum sacramentorum: & alioqui suspendatur Ecclesiastica prohibitio ob vrgentem occasionem grauis scandali, vt supponimus: ergo, nihil fingi potest, ob quod illa actio sit intrinsece mala, & quicquid dicitur de indignitate, vel morali deformitate, quam secum affert censura, nihil est præter prohibitionem, nec moraliter explicari potest, quid aliud sit, cum censura non sit moralis malitia, & consequenter nec deformitas propria, sed poena quædam quæ nec ex suo genere constituit hominem simpliciter malum, aut indignum: neque ex tali speciale poenæ, nisi prout includit prohibitionem, quæ in prædicto casu non obligat, vt ostensum est. Quamquam enim usus sacramentorum, & oblatio sacrificij sint actiones grauissimæ inter eas, quæ per censuram prohibentur, nihilominus cū prohibitio semper humana sit, non obligat cum tanto dispendio grauis scandali.

Nec refert, quod excommunicatus dicitur segregatus, à communicatione fidelium: quia substantia- liter potest non esse segregatus, nam & habet sacramentum, seu capacitatem baptismi, & potest esse vnitus, per fidem viuam; altera vero segregatio, quæ est in foro Ecclesiæ, re vera nihil est, nisi prohibitio, quæ in presenti casu cessat, quoad aliorum existimationem, propterea quod censura occulta sit: quoad propriam vero, & personalem obligationem, propter vrgentem necessitatem vitandi scandalum graue. Quocirca: in huiusmodi euentu non solum licet aliis communicare cum excommunicato; sed etiam ipsi excommunicato communicare cum aliis, etiā in rebus diuinis, cum propositis circumstantiis: nā licet verum sit censuram magis obligare ipsum ligatum, quam alios, quia in eo est causa censura, & in eum directe fertur: tamen tota illa maior obligatio positiua est & humana, & vinci potest, vt sic dicam, à necessitate vitandi scandalum graue. Et eadem, vel fortiori ratione, licitum mihi erit tali excommunicato dare sacramentum, si alioquin mihi constet, illum ob talem vrgentem necessitatem & alioqui digne dispositum, illud postulare. Eo vel maxime quod, si res sit occulta, vt supponimus, non potest publice perenti communio denegari: si autem non publice, sed occulte perat, iam cessabit necessitas vitandi scandalum, & consequenter, neque digne petet, neque erit casus, in quo nunc versamur.

Aduertunt tamen Doctores, quoties de necessitate vitandi scandalum agitur, proprie, & in rigore Theologico esse accipiendum pro occasione, quæ aliis datur committendi aliquod peccatum, siue illud sit in actione simili quale esset in presenti, si alij inducerentur ad adulterium, dum intelligunt personam Ecclesiasticā, aut religiosam propter tale crimine esse censurā ligatā, & ideo non sacrificare, siue peccatum sit in actione dissimili, vt si inducatur populus ea occasione ad murmurandum grauius, vel ad temere iudicandum, non solum in ea occasione, sed etiam postea in aliis, vel ad aliquid simile. Parum enim refert, quod peccata sint huius vel illius speciei, præsertim si mortalia sint, nam per omnia grauius læditur charitas & ideo quodlibet scandalum huiusmodi, præsertim publicum, & grauissimum damnum. Secus v. erit si scandalum non in eo rigore sumatur, sed vulgari more, per quadā admiratione, quæ solet ex aliqua occasione huiusmodi (quando noua est, & extraordinaria) in plebe excitari, cū frequenter sermocinatione circa tale effectum, & causas eius, quæ omnia, per se loquendo,

possunt contingere sine peccato; & ideo illud non est proprie scandalum: & necessitas vitandi illud rumorem non esset per se sufficiens ex hoc capite ad excusandum, nisi inde oriatur alia excusatio, de vitanda graui infamia, quæ ex huiusmodi rumore, & frequenti dictatione facile creari solet.

Solet autem hic vltius queri, an cessante scandalum graui, ob aliquam publicam necessitatem populi, liceat interdum facere sacrum, per censuram prohibitum. Estque communis casus de sacerdote occulte excommunicato, quem in die festo populus expectat ad audiendum sacrum, neque habet alium a quo illud audiat, an possit talis sacerdos licite illud dicere, etiam si alias possit omittere sine scandalum, sub aliqua specie ægritudinis, vel absentia, vel certe aperte pronunciando se esse excommunicatum, quando causa excommunicationis talis est, vt nec inferat infamiam, nec aliquam moram, vel scandalum, vt v. g. si esset propter moram in solutione debiti, vel aliquid simile. Quam dubitationem late tractat Vgolin. tab. 1. c. 13. §. 4. Breuiter tamen respondeo, secluso scandalum, & infamia vel alio simili nocumento graui, illam non esse causam sufficientem ad peragendum tale ministerium in statu censura, vt senserunt Synodus & Ang. verb. *Eucharistia*, 2. quod citatus autor merito sequitur. Et ratio est, quia in eo casu nullum verum incommodum sequitur ex omissione sacrificij, nam populus excusatur à peccato ob inopiam ministrum: ipse vero minister, ob impotentiam legalem, seu prohibitionem: ergo spirituale incommodum nullum sequitur, quod in presenti considerari possit: Nam illud, quod existimare quis posset, de ipsa carentia sacrificij, & fructus eius, non potest in considerationem venire, tum quia graue non est, tum etiam quia ex parte excommunicati per se, & intrinsece coniunctum est cum censura: ex parte vero aliorum suppletur per voluntatem audiendi Missam, & alioquin supponitur scandalum ablatum, neque etiam sequitur damnum temporale, vt supponitur: ergo nulla ibi interuenit causa sufficiens, quæ excuset Observantia vero Ecclesiastici præcepti de audienda Missa die festo, cum sit veluti materialis respectu præcepti (nam posset tunc omitti sine culpa) non est tanti momenti, quanti est observantia ipsius censura, quæ formaliter, ac per se obligat ipsum sacerdotem: quæ obligatio in Ecclesia grauius tenet, Cuius argumentum est, quia longe grauius poenā propter illius transgressionem posita est, scilicet irregularitatis. Item quia hæc obligatio directe cadit super ipsum sacerdotem, alia vero, scilicet, quod populus Missam audiat in die festo, vel ad illud non pertinet, vel non nisi indirecte.

Quamquam vero hæc resolutio in hoc particulari casu vera sit, & in omnibus similibus, in quibus non interuenit aliqua grauis necessitas proximi; Tamen, vbi hæc interuenit, aliud sentiendum est, quia etiam tenemur diligere proximos sicut nos ipsos, præsertim in spiritualibus. Et rationes superius factæ etiam hic habent locum seruata proportionem. Exempla autem moralia sunt, si proximus sit in extrema necessitate Baptismi, Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ in articulo mortis, de quibus in propriis locis dictum est in superioribus, & infra etiam occurret sermo tractando de excommunicatione.

SECTIO IV.

Quomodo suspendatur effectus censura.

Vperest dicendum de vltimo puncto superius proposito, scilicet quomodo possit hic effectus censura impediri per suspensionem aliquā seu ablationem efficaciam ipsius censura. Duo autem tantum videntur posse cogitari modi, quibus hæc suspensio fiat, scilicet, vel per appellationem, vel per dispensationem.

20
Possunt ob
publicam
necessitatem
populi ex-
ceratio per
censuram
prohibita.

Vgolin.
Resolutio.

Syllabus.
Angel.

19
Propter
quod scan-
dali vitā
dum licet
actionem
prohibitam
per censurā
curare.

lationem: nam tertius modus, quo solet dici excommunicationis, verbi gratia, suspendi ad consensum partis, non est propria suspensio, censura, quoad effectum eius, sed est ablatio ipsius censuræ pro tali tempore, vel sub tali conditione infra tale tempus implenda per absolutionem ad reincidentiam, vt vocant; de qua infra suo loco dicemus.

¹ Prior igitur modus suspensionis non habet locum in censura, quia iure canonico statutum est, vt censura per appellationem non suspendatur, vt constat ex c. *Pastoralis*, §. *Verū*, & c. *Ad hoc*, de appellat. & c. *Ad reprimendam*, de offi. Ord. & cap. *Is cui*, §. *ult.* de Sent. excom. in 6. Vbi Glossæ; & Doctores in hoc conueniunt. Et ratio est clara ex d. cap. *Pastoralis*: quia censura secum trahit executionem. Nam, licet Abb. in d. ca. *Ad reprimendam*, putet, rationem hanc non esse in proposito sufficientem, tamen recte intellecta effectiva est: Quia si censura semel illata est per sententiam validam, cum appellatio interposita non tollat censuram, merito non habet vim suspendendi eius effectus: quod quamvis ex prædicta ratione ortum habeat, proxime tamen & proprie fundatur in ipso positio iure: & ideo, quantum ad nos pertinet hic nulla superest difficultas. An vero illa appellatio possit habere alios effectus, & quomodo, ac quando fieri debeat, consulantur Canonistæ citatis locis, præsertim Gloss. in verb. *Suspendatur*, d. c. *Ad reprimendam*; & ibi Abb. nu. 6. & Nauarr. in c. *Cum continetur*, de Rescrip. caus. null. 6. 14. & 15. & Syluest. *Excommunicatio*, 10. & verb. *Appellatio*.

² Circa aliud membrum est grauior difficultas, an per dispensationem fieri possit, vt, manente censura, effectus alioqui per illam prohibitus licite fieri possit. Quidam enim censent non posse in hoc cadere humanam dispensationem: de hac enim loquimur: nam de diuina dispensatione nec dubium esse potest, neque eius speculatio nunc esset alius utilitatis. Quod ergo Ecclesia in hoc dispensare non possit, saltem in aliquibus effectibus censuræ, v. g. in communicatione in diuinis cum excommunicato, vel vt ipse excommunicatus illis communicet, tenet Couarr. *Alma*, p. 1. §. 1. Fundamentum eius est, quia hæc prohibitio non est de iure humano, sed diuino, imo inferius, §. 2. & 3. sentit esse, non de iure diuino positum, sed naturali: quod si verum est, non solum Ecclesia, sed nec Deus ipse posset in hoc dispensare: citatque in eam sententiam alios autores, præsertim Maiorē in d. d. 18. qu. 4. & Iacob. Latom. art. 7. cont. Luther. Ex quo inferri non posse Summum Pontificem absque peccato audire Missam ab homine excommunicato, etiam si ipse dederit ei facultatem dicendi, quia non potuit dare, & ita contra ius diuinum agit: & ideo peccat, quamvis ipse excommunicationem non incurrat propter illud delictum, quia hæc poena tantum est de iure positum. Denique hinc putat oriri, vt non subditi alicui Episcopo, & etiam ipse Sum. Pontifex, teneantur vitare excommunicationem à tali Episcopo: quia non tenentur ex præcepto Episcopi, sed ex diuino iure, quo cautum est, vt excommunicatus ab aliis vitetur, quamvis ab homine tantum excommunicatus sit.

³ Sed hæc sententia falsum habet fundamentum, vt ex dictis in superioribus constat. Quapropter dicendum censo per dispensationem legitimam fieri posse, vt quis sine peccato exerceat actum censura prohibitus, etiam si à censura non absoluitur. Probatur, quia hæc prohibitio est tantum de iure humano, vt supra ostensum est, ergo potest dispensari per potestatem humanam: hæc enim regula generalis est; neque est vlla ratio constituendi in hac materia peculiarem exceptionem. Itē inductione in variis effectibus censuræ declarari potest: nam per excommunicationem fit aliquis incapax beneficii, ita vt collatio non teneat, tamen extra controuersiam est posse in hoc dispensari. Vnde ex omnium sen-

tentia, si Summus Pontifex alicui conferat beneficium, sciens ipsum esse excommunicatum, collatio facta tenet, quia censetur cum illo dispensare, vt tradit ipse Couarr. capit. *Alma*, p. 1. §. 7. num. 2. & in cap. *Postulasti*, de Cleric. excō. min. dicitur, excommunicatos non posse retinere, beneficia sibi collata, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum: ergo eadem ratione potuisset à principio dispensari, vt collatio facta esset valida. Præterea, de priuatione ciuilibus, seu humanæ communicationis certissimum est, iure Ecclesiastico esse introductam, & ita etiam posse in ea dispensari: quod nec Couarr. videtur negare, sed solum de communicatione in sacris: quia hanc putat esse contra ius diuinum, aliam vero solum contra humanum: cum ergo ostensum sit, hoc discrimine falso assignari, quia vtrique communicatio est solum contra ius humanum, fit, vt prior etiam differentia nulla sit. Denique iam ex parte dispensatum est per Extrauagantem, *Ad euitanda*, cum aliis vt possint communicare etiam in sacris cum excommunicato non denunciato; ergo & contrario si expedit, præsertim in particulari aliquo casu, posset dispensari cum aliquo excommunicato, vt sacra cōtingeret, seculis alioqui omni irreuerentia: vel circumstantia, quæ posset actum prauum reddere: quod facile fieri posse ex superioribus constat.

Ex quo fit, hanc dispensationem maxime posse concedi à Summo Pontifice, in quo est suprema Ecclesiæ potestas: & eodem modo, quo dari potest in aliis legibus Ecclesiasticis: Nam, vt iuste dicitur, causa legitima intercedere debet: si autem sine illa illi concedatur, nihilominus valida erit: hæc enim est generalis regula similium dispensationum. Vnde, quo hæc grauior esse videtur ex suo genere, eo maiorem causam requirit: & similiter: quo actus, in quo dispensandum est, fuerit grauior, qualis est receptio sacramenti, aut ministrere Missæ, eo maior etiam causa necessaria erit.

Quo fit, non esse in vniuersum verum, Papam peccare communicando in sacris cum excommunicato, sed solum quando id faceret sine causa legitima: hæc vero intercedente, sicut potest dispensare cum aliis, ita & secum: vel cum excommunicato in ordine ad ipsum Papam. Communiter autem non videtur esse in vsu huiusmodi dispensatio, vel quia raro occurrit huiusmodi causa, vel quia aliud remedium inuentum est magis absolutum, & præstanteum, scilicet absolvere pro tunc excommunicatum solum ad talem effectum, prout communiter fieri solet in collatione beneficiorum. Si tamen expedit, taliquando non absolvere simpliciter, sed tantum dare licentiam ad illum actum per modum dispensationis, nihil obstat quominus possit fieri. Nihil fortasse quis contendat, illam non ferre dispensationem, sed absolutionem quasi partialem censuræ. Sed erit contentio hæc de modo loquendi cum res iam constet: & modus loquendi vlitatus non est, nec in rigore verus: quia nec à censura per partes quis absoluitur, vt colligi potest, si recte ponderetur, ex Clem. ult. de Sent. excom. in priore eius parte, neque necesse est vti verbis, aut forma, quæ absolutionem indicent: & quia reuocata dispensatione, actus maneret prohibitus sine noua censura: ergo non præcesserat absolutio, sed dispensatio.

Sed quæres, an etiam inferiores prælati possint in hoc dispensare. In quo vnū est certum, scilicet, Prælatum, qui non habet iurisdictionem absoluendi à tali censura, non habere ad dispensandum in illa: quia vti minimum, tanta iurisdictione necessaria erit. An vero Episcopus possit dispensare hoc modo in censura, quæ ipse tulit, dubitari potest: quia vt multi Canonistæ dicunt, Episcopus potest dispensare in omnibus, in quibus Papa, nisi sit illi prohibitum: sed nullibi legitimus hanc dispensationem esse reueratā Papæ: ergo. Quæ ratio non procedit in prælati inferioribus Episcopis.

¹ Per appellat.
non impedi-
ri censuræ
effectum.

Abb. nu.

² An per dispensationem,
manente censura, eius
effectus impedi-
pediri possit.
Prima opinio.

Couarr.

Maior.
Iacob. Latom.

³ Per dispensationem
possibile
fieri vt excommunicatus a-
ctio per censuram prohibita, ipsa
manente.

⁴ Papa possit
hanc dispensationem
concedere.

⁵

⁶ An inferiores
prælati possint in
hoc dispensare.

scopo, quia non habent tam perfectam iurisdictionem, sicut ille, neque dispensare possunt in communi, nisi quatenus eis conceditur speciali privilegio: prohibito autem hæc censurarum ad ius commune pertinet, ut statim dicam, & nunquam potestas hæc dispensandi in censuris conceditur, sed absol- uendi tantum.

⁷ Sed & de Episcopis probabilis censetur (generatim loquendo) non habere hanc potestatem. Quod vno verbo attingit & asseruit Vgol. tab. n. c. 10 §. 6. n. 4. citans Socinum Sen. in c. Officij, de Sent. exco. n. 171.

Qui, dum peculiariter negant Episcopum dispensare posse, ut excommunicatus actus ei prohibitus sine absolutione exerceat, tacite insinuant Pontificem summum id posse: ut asserimus. Cur autem Episcopus hoc non possit, nullam rationem asserunt. Ego vero ex ultimo rationem esse, quia in rebus iure communi, & vniuersa Ecclesia prohibitis dispensare non possunt, nisi ubi, vel ipso communi iure eis conceditur, vel aliqua recepta consuetudine & traditione. Ita enim censetur limitandam esse illam propositionem aliquorum Canonistarum, nam contraria sententia & verior est, & hoc tempore communiore, & fere aperte colligitur ex cap. *Dilectus*, de Tempore ordinationis, & fundari etiam potest in cap. *At si clerici*, §. *De adulteris*, de Iudiciis, ubi hæc res communiter disputatur; & in Theologia in materia de leg. & statibus, & potest. Papæ, & Episcoporum, tanquā in propriis locis tractatur. Hæc autem potestas, de qua loquimur nec iure communi illis conceditur, nec consuetudine recepta est, nisi fortasse in aliqua re minima, ut danti licentiam ad loquendum cum aliquo: quæ proprie non potest dici dispensatio, sed declaratio iustæ causæ, ex qua ipsum ius commune id facere permittit: alioquin neque illud licite fieri posset.

⁸ Atque hinc dixit Glossa in ca. *postulasti*, de Cleric. excomm. ministrant. verb. *Dispensatum*, posse Episcopum dispensare in hoc particulari effectu, quod collatio beneficii excommunicato facta valeat: quam ibi Abbas n. 3. & alij sequuntur fundati in illo textu, in quo talis dispensatio permittitur absolute, & sine restrictione: quando cumque autem dispensatio aliqua in iure permittitur, signum est, etiam Episcopis concedi, ut est etiam communis sententia Canonistarum, argum. ca. *Nuper*, de Sentent. excomm. Veruntamen, si recte attendatur ad cap. illud *Postulasti*, in eo non dicitur, posse dispensari cum excommunicato, ut collatio ei facta valeat, sed posse dispensari cum eo, qui beneficium excommunicatus obtinuit, ut illud retineat, scilicet, postea absolutus: ita enim intelligendum id est: neque enim Pontifex daret facultatem dispensandi cum excommunicato perseverante in sua contumacia, ut beneficium male partum retineat. Est autem longe diuersum dispensare, ut collatio beneficii facta excommunicato à principio sit valida vel dispensare, vel collatio, quæ prius nulla fuit, valere incipiat, ut per se notum est: nam prior dispensatio formaliter & directe est ad impediendum effectum excommunicationis: & cedit in fauorem ipsius excommunicati, dum excommunicatus est, imo dum excommunicatur: posterior vero non est dispensatio excommunicationis, nec impedit effectum eius, sed supponit potius censuram habuisse suum effectum, & postea remedium illi adhibet post ablatam censuram. Neque enim de ratione censuræ est, ut malum illud remedium careat; unde non est fauor concessus excommunicato, sed iam absolutus, & ideo in nulla re obstat censura. Nō ergo potest sumi argumentum ab vna dispensatione ad aliam: nam, quod textus ille de posteriori tantū dispensatione loquatur, manifestum est, tum quia post illa verba, *Nec illi valent ea licite retinere*, immediate subiungitur, *Nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum*: tum etiam, quia in proxime sequentibus

A concluditur talis ratio, *Cum ea non fuerint canonice consecuti*: solum ergo sit sermo de dispensatione, per quam collatio, quæ nulla fuit, ratificatur.

Vnde non censetur posse Episcopum in hoc dispensare, ut collatio beneficii facta excommunicato, in principio rata sit. Quod inde confirmari potest, quia alias Episcopus scienter dāns beneficium excommunicato, quo cum dispensare posset, censendus esset dispensare, & ratam facere collationem, sicut de Pontifice maximo diximus: at vero oppositum constat, ex illo textu, in quo statim poena imponitur Episcopis hoc scienter facientibus, & supponitur, factum non tenere, si ipsi facere præsumat. Ac denique hanc sententiam aperte tenet Couarruias c. *Alma*, prima part. §. 7. n. 8.

B Ad fundamenta contrariæ sententiæ iam responsum est. Ad illud vero postremum de excommunicato à particulari Episcopo an vitandus sit in tota Ecclesia, Scotus in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 5. ex opposito fundamento dixit non esse ubique vitandum; propter limitatam excommunicantis iurisdictionem. Sed alienum hoc est ab usu Ecclesiæ, & canonum præceptis: & ideo non oportet ad aliquod extremum declinare: Fatendum est enim, excommunicatum esse ubique vitandum, non quia iure diuino ita cautum sit; alias etiam de externa, & civili communicatione idem dicendum esset: quod Couarr. non concedit, nec propter solam iurisdictionem particularis Episcopi, sed propter institutionem talis censuræ, quæ autoritate totius Ecclesiæ ita facta est, ut, à quocunque applicata fuerit, hanc vniuersalem vim habeat, ut in Concilio Nicen. ca. 5. aperte dicitur, & in c. *Sicut Apostoli*, cum duobus sequentibus insinuat in 11. qu. 3. & est fere aperta declaratio Innoc. III. in c. *Ad reprimendam*, de Offic. Ordinarij, & latius infra suo loco dicitur: & videri etiam potest Soto dist. 2.2. quæst. 2. art. 1.

DISPUTATIO VII.

De absolutione, & modis quibus censura tolli potest.

DIXIMVS in principio huius materiæ, censuram talem esse poenam, quæ perpetua non sit, & vi suæ institutionis, sed auferri possit. Imo addidimus postea talem esse, ut auferenda sit, quoties causa cessauerit, & correctæ fuerit contumacia: superest ergo, ut, postquam de vinculo censuræ omnia tractauimus, quæ in communi considerari possunt, de illius etiā solutione pauca dicamus, in qua re explicanda breuiter quidem agemus, eundem tamen ordinem obseruabimus, prius de potestate, deinde de actu eius, & de modo quo debet rite seu recte fieri, differentes.

SECTIO I.

An censura per solam absolutionem tolli possit.



Vm censura per modum cuiusdā accidētis sit in eo, qui ipsa ligatus est, ut supra declarauimus, ad modum etiā aliorum accidētium destrui seu tolli posse intelligendū est. A signant aut Philo-

Cōstat.

¹⁰ Cur excommuni-
catus ab Episcopo pro-
ta Ecclesia
vitandus
sit.
Scotus.

Soto;